dum in nomine enorrat quia non est speciosa laus in ore peccatoris; Peccatori
autem dixit deus; Peccatorem vocat reprobum aliquem predicatorem qui alia docet
et alia agit. Bene scilicet predicat et male vivit; huic dicitur. Quare tu enar
ras iustitias meas i. cur eas predicas cum eis contrarius existas; Sciendum autem
quia non prohibet dominus tales predicare. sed potius monet predicationi obe
dire; De his enim in euangelio ait. Alligant enim humeris hominum onera grauia
et inportabilia. digito autem suo nolunt ea mouere; Que dicunt ergo facite.
secundum vero opera eorum nolite facere; Iusticie autem dei dicuntur precepta
ueteris et noui testamenti. que suos seruatores iustificant; Et assumis
testamentum meum per os tuum; Testamentum dei est vetus et nouum testa
mentum; Assumis inquit per os i. voce tantum et non opere. ore et non cor
de; Tu vero odisti disciplinam i. odibilem habuisti; Disciplina dei est. que
iuste peccantes affligit. et conuersis misericorditer parcit; sed tu utrumque
hoc inquit abiceris; Cum enim parcit insolescis; cum vero pateris murmu
ras et conquereris; Et proiecisti sermones meos retrorsum i. contempsisti
tanquam non mei essent. sed per te dicti; Si uidebas furem currebas cum eo;
Ille cum fure currit. et cum adultero portionem ponit. qui eis vel fauet vel maleque
assensum prebet; Os tuum; Illius os malicia habundat. qui non solum
peccantem non redarguit. verum etiam adolatur ei. et sic in malo confortat
quod fortassis non faceret. si malum esse cognouisset; Et lingua tua concinna
bat dolos i. componebat; Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris. frater
et proximus noster est aliquis doctor vel predicator. contra quem loquitur qui ei
predicationi resistit qui eius dogmata destruere conatur; Filius matris nostre
est aliquis simplex fidelis. contra quem loquimur cui scandalum ponimus quan
do eum aut verbo aut malo exemplo peccare facimus; Et nota quod non dixit. stans
loquebaris sed sedens; Quasi enim stans et in transitu peccat. qui hec non ex medi
tacione. sed repente et nesciens in peccatum labitur; Sedens uero delinquit